Bologna, 14. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35037
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

quamuis merito oppresso fuisse supplicium insultare non attinuit, cum praesertim finsire ad ea liceat que sine domestico uulnere gesta narrari possint. Nam posterior Affricanus euerso punico imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis bestiis obiecit.

Perseus

Et L. Paulus Perse rege superato eiusdem generis et culpe homines elefantis proterendos substrauit. Utilissimo quidem exemplo si tamen acta excellentissimorum uirorum humiliter extimare sine insolentie reprehensione permittitur. Aspero enim et absciso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia uires armis constant. Que ubi a recto tenore desciuerint oppressura sunt nisi opprimantur.

Nota

De militari disciplina

Sed tempus est eorum quoque mentionem fieri que iam non a singulis, uerum ab uniuerso senatu pro militari more obtinendo defendendoque administrata sunt.

Nota lucio de ... [illegible] ... et Cn. ... reliquias

L. Martius tribunus militum, cum reliquias duorum exercituum P. et Gn. Scipionum quos arma punica in Yspania absumpserant, dispersa mira uirtute collegisset, earumque suffragiis dux esset creatus, senatum de rebus actis a se scribens in hunc modum orsus est: L. Martius propretore. Cuius honoris usurpationem eum patribus conscriptis non placuit, quia duces a populo non a militibus creari solerent. Quo tempore tam infausto tam graui propter immane rei publice dampnum etiam tribunus militum

iusto

adulandus erat, quoniam quidem ad statum totius ciuitatis corrigendum unus sufficere uidebatur. Sed nulla clades, nullum meritum ualentius militari disciplina fuit. Succurrebat enim illis quam animosa seueritate Tarentino bello maiores eorum usi fuissent, in quo quassatis et attritis rei publice uiribus, cum magnum captiuorum ciuium suorum numerum a Phyrro rege ultro missum recepissent, decreuerunt ut ex his qui equo meruerant peditum numero militarent, qui pedites fuerant in funditorum auxilia transcriberentur, ne ue quis eorum intra castra tenderet, ne ue locum extra assignatum uallo aut fossa cingeret, ne ue tentorium ex pellibus haberet. Recursum autem his ad pristinum militie ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Quibus suppliciis compulsi ex deformibus Phyrri munusculis acerrimi hostes extiterunt.

bina spolia .i. duos hostes interfectos

Parem iram senatus aduersus illos destrinxit qui apud Cannas rem publicam deseruerant. Nam cum eos grauitate decreti ultra mortuorum conditionem relegasset, acceptis a M. Marcello litteris, ut eorum opera ad expugnationem Siracusanorum uti liceret, rescripsit indignos esse qui in castra reciperentur. Ceterum se ei permittere ut faceret quod e re publica iudicasset, dum neque ex his munere uacaret aut dono militie donaretur aut in Ytaliam donec hostes in ea essent accederet. Sic eneruatos animos odisse